

Dominae atque virgines veneratissimae, domini doctissimi, ultima hora conventus nostri advenit. Urbs aeterna, Annum Sanctum celebrans, nobis favebat, caelum quoque semper serenum erat. Tamen nunc hora est abeundi. Illa hora ultima Romanis antiquitus bellantibus interdum non favebat; talibus rebus adversis dicebatur atque postulabatur: *Res venit ad triarios*. Hodie nobis conventum finientibus res non sunt adversae, tamen res ad me senem venit per multos annos expertissimum. Ex peritia viginti quinque annorum nostrorum seminariorum mihi liceat pauca verba dicam.

Imprimis viris doctissimis Petroangelo Catalano et Paulo Siniscalco gratiae quam maximae dicendae sunt, quod conventus nostros condiderunt, instituerunt, peregerunt pecuniamque necessariam semper reppererunt. Speramus autem ea quae in conventibus feliciter tractata sunt, omnia mox prelo data publicatum iri. Nam quae audivimus, non solum nobis, qui aderam, iucunda atque utilia sunt, sed cunctis, qui in toto orbe terrarum ad studia historica, iuridica, philologica, theologica incumbunt. Ad haec munera perficienda feminas atque viros, qui in seminario perficiendo nobis semper libentissime aderant, auctoribus seminarii nostri doctissimis officiosos adfore mihi quidem persuasum est. Seminarii nostri adiutricibus atque adiutoribus intimo ex corde gratias ago.

Sed non ultimo loco gratiae quam maximae agenda sunt eis, qui Urbi Aeternae a civibus electi sapienter atque prudenter praesunt, quid orationes et scripta nostra Romae atque gloriae Romae valeant, cognoverunt eaque de causa studia nostra semper adiuvabant. Gratiae eis hodie intimis ex animis nostris agenda sunt.

Sed tempus est ut oratiunculam meam finiam. Dies festi Paschae appropinquant nuntiusque paschalis per totum orbem terrarum nuntiatur. Ut ad salutem omnium audiatur volumus.

Seminarium vicesimum «Da Roma alla Terza Roma» finitum est. Quae duobus diebus in Capitolio venerabili audivistis, ut omnibus locis nuntietis vos rogo atque obsecro. Vivat — voco — seminarium vicesimum primum!

JOHANNES IRMSCHER

* Parole conclusive del XX Seminario internazionale di studi storici 'Da Roma alla Terza Roma'. Campidoglio, Aula di Giulio Cesare, 21 aprile 2000.